

3. *Vel per Instantiam*, qvando Propositioni universali singularis contraria opponitur, ut:

*O. animal videt:*

*Homo est animal:*

*E. Homo videt.*

*Per Instantiam ad majorem potest responderi ita subsumendo: Atqui talpa est animal: E. Talpa videt.* Qvod contra experientiam. *Scalig. Exerc. 244. p. 743.* Scribit tamen, qvod obiter addo: *B. Sperlingius in Zoologia p 303.* Talpam cœcam non esse. *Cæcior talpâ,* proverbialis, *inquit,* est locutio. Sed videt talpa, licet obscurius, & magis in tenebris, qvàm luce clarâ. Habet oculos, sed teftos. Cute enim detractâ orbiculus quidam in loco oculorum apparet. *Qvem frustra fecisse naturam,* absurdum est.

4. *Vel per Concessionem*, qvum totum argumentum concedimus, tanq; id, qvod nobis non obest. ut: *Si probaturus, bona opera esse necessaria ad salutem, tantum evinceret, esse ea necessaria,* ejus totum argumentum concedi posset, utpote qvod nihil contra nos.

5. *Vel*